

nis; clericis et beneficiatis ad dictam compositionem tractandam et faciendam, de consensu et licentia Ser.^{mi} et Excel.^s Principis DD. Andreae Contareno Dei gratia Ducis inclyti Venetiar. etc. cum ipsi et dicta Eccl.^a et ceteri dictæ Eccl.^a Capellani subsint; requisiti statim ex parte ipsius Dⁿⁱ Vicarii venerunt et veniunt, et comparent solum pro facto Decimarum prædictis nominibus protestantur, et per præsentem comparitionem, vel alium actum quem fecissent, derogare non intendunt jurisdictioni et immunitati dictæ Ecclesiæ S. Marci, quæ in aliquo nulli alii est subiecta, præterquam inclyto D^{no} Duci Venetiar. Quam protestationem prædictus D. Vicarius velut juridicam et veram admisit omnibus via, causa et forma, quibus melius scivit et posuit: dicens, quod bene scit, quod dicta Eccl.^a S. Marci, et ipse D. Primicerius, et ejus Capellani sunt solummodo inclyto D. Duci immediate subiecti; et ab omni alia jurisdictione cujuslibet Prælati, Domini et judicis omnino et penitus immunes et exempti, et quod ipse D. Vicarius presbytero Bartholomeo S. Job: Chrysost. Nuncio jurato Episcopalis Curie Castell. nunquam imposuit, quod ex ipsius parte dictos D. D. Primicerium et Capellanos citaret, aut eis sub aliqua pœna mandaret: sed quod solum ex parte dicti D. Vicarii amicabiliter, charitative et benigne requirerentur, quatenus eis placeret hodierna die hora prædicta cum prædictis aliis convenire ad suprascripta ut supra tractandum et faciendum. De quibus omnibus prædicti DD. Primicerius et Capellani rogaverunt me Notarium infrascriptum, ut publicum facerem instrumentum.

Ego Bartholomeus de Ferrariis de Parma publ.